



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

De Personis Ecclesiasticis, Earumque statu, Dignitate, munere, &
Immunitate

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 4. De Abbastissæ. &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61816)

I. quamvis nec Censuræ ullius, nec peccati periculum foret, à non necessaria mora cuilibet abstinendum, tum ut Virginum sacrarum pudori, tum ut suæ potissimum famæ consulat. Eris innocens tu quidem fortetan.

At nos in vitiam credula turba sumus.

§. IV.

De Abbatissâ.

II. Eligenda in Abbatissam 1. legitimè nata sit. 2. incorrupta nisi Episcopus dispenset. *Zerola part. 2. v. Abbatissa.* 3. non minor annis quadraginta. 4. cuius in cœnobio vitæ probitas octo minimum annorum spatio probata sit. Denique post professionem expressam. *Gloss. in c. Attendentes de statu Monach. c. Iuenculas. 20. quest. 1. Angel. Silv. Tabiena. Armilla. Concil. Trident. sess. 25. c. 7.* Si non reperiatur in eodem Monasterio idonea, ex alio ejusdem Ordinis eligi poterit. Si hoc quoque incommodum videatur ex iis, quæ in eodem Monasterio annum tricesimum exceßerint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo vel alio Superiore consentiente eligatur. *Concil. Trident. loco cit. Sanchez. l. 5. Moral. cap. 5. Zerola v. part. 1. Abbatissa. Modum electionis descriptimus Tit. VI. §. 2.* Illud peculiare est, quod aliquando per Episcopum cum Vicario suo oretenus accipi Suffragia possunt: duæ tertiarum Suffragiorum requirantur: & si discordes fuerint, ab Episcopo nominari Abbatissa possit. *Piassec. part. 1. c. 3. Barb. in c. Indemnitatibus de elect. in 6.*

II. Electa confirmari debet, & ubi consuetudo obtinuit, etiam benedic intra annum, & si *Glossa* credimus, die etiam profano. Benedicita in Ecclesiis sibi subjectis beneficia conferre potest, & Clericos instituire, quoad titulum, & possessionem. *c. ea noscitur. de his, quæ fiunt à Pralat. c. dilecta de maior. & obed. Barb. ibid. cum aliis multis.*

III. Modus gubernandi ab eo qui in cœnobiis virorum servatur, multum distat, utpote domesticus, & politicus magis, quam Spirituualis. Quomobrem instar matris familias, & gubernatricis imperare potest ea, quæ ad ordinem domesticum, & disciplinam, conformiter regulæ præfixæ pertinent. Incapax enim potestatis Spirituualis femina censetur. *c. Nova de pœnit. & remiss. v. Antonin. part. 3. tit. 16. c. 7. §. 2.* Neque permittitur Abbatissæ præcipere in virtute Spiritus Sancti: in virtute Sanctæ obedientiæ & esio id possit sub pœnâ voti obedientiæ sibi præstiti, aut virtute obedientiæ sibi debita: quemadmodum Rector sæcularis Universitatis mandare solet sub pœnâ præstiti juramenti. Aliqui tamen jurisdictionem Spiritualem saltem ex commissione tribuunt apud *Barbos. in c. cit. Dilecta. Victoria de potest. Eccles. quest. 2. nu. 4. Ledesma part. 2. quest. 4. Vasqu. 1. 2. Dis. 166. c. 4. Sanchez l. 6. Moral. c. 1. num. 20. & seq. ubi pluribus explicat differentiam inter Abbatem & Abbatissam, eorumque potestatem, & modum præcipiendi.*

IV. Igitur exceptâ Regulari correctione nulla Abbatissæ clavium sacrarum potestas conceditur, multò minùs Ordinis: hortari ad virtutem sorores

Kk 2 licet,

licet, non prædicare non velare Virgines aut benedicere, ut neque aquam. Evangelium non in Missa, sed officio matutino leget. *Anton. loco cit. Avila pars. 1. dub. 6. Concl. 1. Suarez. V. Disp. 2. Sect. 2. num. 5. & Tom. IV. de Relig. l. 2. cap. 9. num. 10. Tuschus. Concl. 28. Barbof. in c. in nova de pœnit.*

NOTA. Abbatissa non sic omnis Jurisdictionis Spiritualis incapax est, quin aliquis clavium usus puta, excommunicandi, illi committi possit, quemadmo-

dum fufius explicatur à Laymanno *lib. tract. 5. part. 1. c. 3. Reginald. l. 9. num. 117. Roder. 11. quest. 43. art. 3. Contrarium, & fortè melius tuetur Coninck Disp. 12. dub. 4. num. 33. Reliqua accuratè præscripta dabit Ordinatio à S. Carolo Borromæo in Conc. I. & IV. Mediolanensi confecta, &c.*

* * *

Omnia ad majorem DEIGloriam,
Virginis Matris, & Sanctorum
omnium.

PARS